

pediat: posse bonum civem obligari ad id faciendum in sui & concivium suorum commodum, ad quod faciendum alias & de jure non tenetur. Oritur ergo ipsa obligatio ex duplici illa parte officii, quâ sibi quisq; debitor est & qua Patria. Se quod attinet inprimis viri & prudentis est, sibi rebusq; suis in futurum prospicere; & honesti, quâ sit presenti conditione cogitare. Dandam esse unicuiq; operam (omnibus viis & modis licitis & honestis) se vitamq; suam tueri, atq; ita se gerere, ut possit tutò & in pace vivere, agros, ades, possessiones suas sibi habere, eorumq; qui ipsi & vitam & facultates cum libuerit eripere possunt, offensionem devitare, nemo est (nimirum natura id ditancte) qui non fateatur. Et hinc prima parendi Rom. XIII. necessitas quam propterea non tam urget noster Apostolus quam supponit, velut cujus unicuiq; à natura insitus est sensus & πρόνοια διὰ τὴν ὀργάνη: Quasi hominis esset parum sano mentis, ejus qui gladio potestatem habet iram temerè provocare & ejus offensam contumacia suâ nulla postulante necessitate, incurrere. Ipsius igitur interest, in salutis suæ compendium, iniqua nonnulla pati, legibus obtemperare & (quoad sine peccato fieri potest) τὰς ἑσθίας ἐξουσίας ὑποτάσσεται: sicq; jugum, quod excutere non potest, bene ferendo levius aliquanto, mitius & tolerabilius efficere. Sed & altera insuper eaq; fortiore, quæq; ad conscientiam propius pertingit obligatione ad hoc idem faciendum semet obstrictum sentiet, quisquis qua ex politico regimine civibus proveniunt bona attente cum animo suo cogitaverit. Et ita sanè Chrysestomus illa Apostoli verba διὰ τὴν συνείδησιν hoc loco interpretatur, ut ad illius protectionis beneficium, quam prestat subditis civilis dominatio, potissimum respexisse putet Apostolum, quasi diceret: conscius cum sit quilibet civis, quam multis beneficiis fruatur sub principatu politico, sciat se, in tot & tantorum beneficiorum compen-

compen-